

# QUÆSTIO MEDICA EAQUE THERAPEUTICA.

PROPOSITA

Ab Illustrissimo viro D. D.  
**FRANCISCO CHICOYNEAU**  
Regis Consiliario ac Medico, nec-non  
in almâ Monspeliensium Medicorum  
Academia Professore Anatomico &  
Botanico, Cancellario Amplissimo &  
judice æquissimo.

Sub Hac verborum Serie.

**AN FEBRI HECTICÆ LAC  
muliebre.**

Quam propugnabit Deo duce & Auspice Dei-  
patâ, **HENRICUS DUPUY** à Sancta Julia apud  
Bugesianos, iamdudum Medicinæ Studiosus  
in Augustissimo Monspeliensis Appollinis  
fano, die Septembris anni 1712. ab horâ  
octavâ ad meridiem.

Pro primâ Appollinari laureâ consequenda



Monspellii, Apud **HONORATUM PACH**, Typ.

NOBILI VIRO D. D.  
JOANNI BAPTISTÆ GOIFFON,

Universitatis Monspeliensis

DOCTORI

Regis Christianissimi quondam in Italiâ,  
& inde in Hispaniâ.

UTRIUSQUE CORONÆ.

Exercituum Medico, in Celebrati Collegio  
Medicorum, & Professorum Lugdunensium

AGGREGATO MERITISSIMO.

Practico felici exercitatissimo.

HOC PRIMUM SPECIMEN

GRATI ANIMI

PIGNUS.

D. D. D.

HENRICUS DUPUY, à Sancta Julia  
apud Bugefianos.



# QUÆSTIO MEDICA AN

*Febri hectica lac muliebri.*



EBRIS hectica ex communi medicorum calculo, triplici gradu sensim ac sine sensu corpori humano certum minatur excidium, ni tempestive ipsius progressui occurratur.

Ab ipso limine Theseos animadvertendum, nos ex veterum sententiâ quorum opera summâ observantiâ colimus, illos gradus eorumque causas mutatis tamen mutandis exarare; idque præsertim in febribus hecticis quæ minorem putredinem sibi conjunctam habent. Minorem dicimus quia ex illis nullam à putredine seu humorum dissolutione plane imminem censemus.

In primo gradu præternaturalis calor naturalem, & vitiosa pulsus frequentia Ordinariam nihilo fere excedunt, levis fit lymphæ è suis conceptaculis dissipatio, parvum aut nullum fere molliorum partium dispendium, hinc ægri se febricitare aut emaciari vix sentiunt.

4 Balsamicum illum succum qui quotidianum mollium, ac solidarum corporis partium damnum refarcit, illasque ad debitæ magnitudinis terminos vera substantiæ transmutatione evehit; pro sedis consistentiâ, pororumque varietate humori veterum inominato, rori, cambio, atque glutini jure substitui-  
mus.

In secundo autem, repetitis caloribus partes adiposæ, ac carnosæ adeo succutiuntur, ut partim liquecant, manifestamque substantiæ suæ jacturam patiantur.

In tertio demum impiger, & inexpugnabilis prædo (calorem intelligimus) non solum alibilem succum, adiposas, & carnosas, verum etiam firmioris texturæ (quas antiqui fibrosas, & membranosas nuncupabant) partes tantopere depascitur ut excaventur oculi, gracilescent nares, collabuntur tempora, arida cutis strictius ossibus hæreat, ægrotique exangues umbras, seu defunctorum larvas magis quam viventium automata referant.

Pauco post tempore quam ultimus gradus inicit Febris dicitur esse marasmodes quam brevi sequitur marasmus, qui calore, & siccitate, non autem frigiditate, & siccitate (ut videre est interdum in senio) corpora conficit.

Febris hæctica vulgo distinguitur in primariam, quæ independenter ab aliâ Febre aliove morbo invadit, & secundariam, quæ alteri Febri vel morbo supervenit: Verum qui siccitatem individuum hæcticæ comitem adjungunt divisionem istam à majoribus acceptam expungere, vel se magnâ difficultate implicare necesse habent; quandoquidem non nisi

protracto aliquandiù Febrili calore humor, in cujus penuria vel privatione consistit siccitas, discuti potest, sin autem vocis spectemus etymon eam à primo sui ortu hecticam appellari nihil vetat, quod ad gignendam axim seu materialem habitum notabili temporis duratione opus sit. An à primâ invasione ad secundi gradus incrementum habitualis, an simpliciter lenta audiatur profecto Reipublicæ Medicæ parvi interest; secundæ denominationi favet quod medici nemine refragante fateantur hecticam incipientem esse difficilem cognitu, sed curatu facilem, ast quo pacto habitus à suo subjecto facile semovendus?

Religiosi veteris medicinæ cultores, qui malunt cum antesignanis errare, quam vel transversum unguem ab eorum dogmatis in ipsâ veritate recedere, Febrem hecticam solis partibus inhærere, nullâque causâ à quâ foveatur, indigere acriter contendunt: verum enim verò ut nos negare non possumus, intemperiem calidam, & siccam in laudatas partes hoc cè in affectu induci; ita ipsi è contra illam, cujus essentia in præternaturali humorum fermentatione constituenda est, absque summâ mentis pervicaciâ hisce insidere inficias ire nequeunt.

Absque gravi fundamento *Avicenna*, *Fernelius*, *Mercatus*, alique iatricæ artis heroës asseriebant calorem hecticum in partibus solidis succendi, ob causæ effectricis externæ vehementiam, & præviam subjecti patientis dispositionem; illibatis interim humoribus, & spiritibus seu nullo in iis calore accenso. Palmæ præ reliquis habitus partibus calêt, non quia pluribus aut majoribus irrigâtur sâguinis rivulis; sed quoniam insensibilis transpirationis effluvia propter compactiorem cutis substantiæ modum cohibentur,

& ob angustiam viarum sanguis musculos palmares difficilius peragrat.

Frigus, & horror quæ aliquando duabus horis à passu, serius ocius, ægros corripunt ex chilo non probe subacto massæ sanguinæ suffuso recte deducuntur; ille enim moleculis quibus scetet acidis, stamina hujus sulphurea figit, suorum sulphurum compedibus principia sanguinis fermentativa irretit, magnamque tantillæ fermentationis quâ ponitur, motus quantitatem in se suscipit; hinc fit ut crassiores humorum partes concrecant, seruinque è suo sinu exprimant, quod cum acidis sit refertum, membranas corporis nerveas à caloris fontibus remotiores ut pote juxta quas concretio major, pungit: spirituum columnas cum determinato modificationis caractere ad sensum frigoris producendum versus commune sensorium repellit, hujusve incolas in varios artus ad horrorem excitandum irregulariter determinat.

Sedato tantisper tantillo humorum tumultu, salia magna ex parte sulphuribus obuoluuntur, præ superficialium congruitate coalescunt homogenea, acida acidis, Alkalina Alkalinis, maritantur, quæ ex terrenarum & sulphurearum complexu paulatim expedita sibi mutuo occurrunt, & libero materię subtilis excursui, sui permutatione ponunt obices. Hæc in suis alveolis copiosius aggesta ingeminatis viribus moræ impatiens instar torrentis in ripas agentis in salium æthero geneorum latera strenuos edit nisus; ita ut calor presso pede frigus excipiat: ast de frigoris horrores ac caloris visciditudinibus, earumque causis plus æquo dictum; cum absque priorum ullo, pandi-

## *Hecticâ.*

culatione, oscitatione, aliivve paroxysmorum febrium intermittentium, aut exacerbationum continuarum signis, solus calor post assumptos cibos in febribus simpliciter hecticis increascat; ita tamen veluti duntaxat febrilis accessionis significatio fiat.

Illud caloris incrementum pulsûs magnitudo, & frequentia major, quæ aliquot horis à pastu contingunt, heterogenearum chili partium quæ in sanguine continentur, sunt progenies; illæ enim fermentationem, in qua caloris essentia posita est, modo superius explanato intendunt; quâ intensâ crebrius, ac copiosius fluidum cordis motivum fibrarum ipsius motricium loculamentis suppetit; cor validius, & frequentius contrahitur majoremque sanguinis se se magis quàm antea expandentis penum in arterias sæpius impellit.

Symptomata. Diurnus calor roscidam partium lympham, substantiasque ex illa concretas depopulatur, pororumque parietes spirituum inopiâ subsident, undè imminutâ eorum capacitate, oblatum succi alibilis proventum non admittunt, serosus latex illius succi vehiculum calore dissipatur; ille itaque crassior factus ab ingressu pororum arceatur. Idem succus si in poros partium irrepit, salibus suis acribus gelatinam partibus appositam, firmioremque earum substantiam abrasit, particulasque indè abrasas secum in decursu suo abripit, posteaquam fermenta alimentorum coctioni destinata variis vitiantur modis, chilus non generatur vel genitus alteratur aut corrumpitur, vel corruptus aut alteratus non distribuitur, ut ubi ductus chiferi materiâ crassâ, & viscidâ præcluduntur tumoribusve, putâ scrophulosis aut schirrosis compri-

muntur. Item dum stomachus, & intestina ad motus peristalticos sæpissime proritantur. In his ultimis casibus limpha & consecutione necessariâ partes eâ enutriendæ suâ alimoniâ defraudantur, Tot rationes evincunt majorem fieri dissipationem quàm instaurationem. Hinc temporum collapsum, narium gracilitatem, oculorum retrocessum, cutis siccitatem, ejusque ossibus adhæSIONem, faciem, quàm vocant Hippocraticam, & universi corporis marcorem repetimus; quæ omnia ex simplici humorum, adipis, carniû, & membranarum consumptione, facili negotio, erui possunt. Etsi calor nequidem ossibus parcat, quoniam ipsorum moleculæ arctiori continuitatis, vinculo sibi annectuntur, notabilem partium jacturam non faciunt. Quamobrem carnibus depressis, circumposita ossa aliis elatiora plus solito extare videntur ac narium pinnae musculis suis exsiccatis, atque decurtatis præter solitum inhiant, longius productâ fermentatione, salibusque acris sui juris in sanguine factis, sulphurea humorum, & pinguedinis solvitur compages, & tela, qualis aranearum ex staminibus sulphureis contexta urinis innatata.

Jugi fermentationis motu discutiuntur tenuiores sanguinis particulæ. Hic quasi in vappam degenerat, minor fit spirituum genesis, illi igitur duplici ex capite deficiunt, ac proinde vires fatiscant oportet.

Tussicula ægros idemtidem molestat, ex eo quod præ calore Pulmonum exhalet magnâ ex parte serum humoris, quo irrigatur membrana interius incuvestiens bronchia, ac illius salia majorem molem adepta membranæ prædictæ Fibras

lacciant



laccant, spiritus cerebrum versus regerant, indeque aliorum motum in musculos expirationi dicatos accelerent. Tantilla est humidi portio, ut tussicula sit sicca.

Sub morbi finem sanguis effoëtus, debilioribus cordis ictibus in extremas propulsus partes, in quibus respective defervet, moram contrahit, præcipuè in pedibus, ut pote à caloris foco remotioribus, in grumos abit, serum dimittit, quod per relaxatas vasorum tunicas exsudat, pedesque tumefacit. Ad hunc effectum concurrunt situs perpendicularis aut ad illum accedens, in quibus humorum reditui propria eorundem renititur gravitas.

Denique, sanguine in dies magis ac magis colliquescente salia menstruorum digestionem alimentorum inservientium extricantur, exhausto sero majorem nanciscuntur molem per sua incernicula, in stomachi & intestinorum cavitates frequentius devoluta, fibras tunicæ horum nervæ immaniter crebrius feriunt. Ad hæc vehementiores spirituum refluxus cerebrum versus sic ut spiritus in hoc hospitantes in fibras, stomachum, intestina, & musculos abdominis contrahentes ad profligandos hostes accurrant, motus fiant peristaltici crebriores proindeque alvi fluxus lethales.

Causæ proximæ febrium hecticarum, ephemeras, ardentes, aliasque consequentium sunt moleculæ figurâ, magnitudine, ac pororum ordine discrepantes, sive in massâ sanguineâ genitæ, sive aliunde in ipsam tractatæ. Harum etiam quæ ab ulceribus pulmonum, renum, pancreaticis, intestinorum, aliarumve partium internarum vel externarum natales trahunt ( ut ex dilectis hæc de-

functorum eadaveribus liquidò conflat) alias non agnoscimus causas quàm miasmata heterogenea, præterfluenti cruori ab ulceribus communicata, quæ à pulmonum, uteri, aliorumve viscerum oppilationibus ortum ducunt, recrementitiarum ac excrementitiarum sanguinis materierum discordiæ proxime sunt tribuendæ. Neminem in re medicâ vel mediocriter versatum latet, obstructo jecinore bilem vel materiem ipsius salinam in massâ sanguineâ retentas, pluribus circuitibus exaltari febrisque tantùm lentæ, reluctante humorum spissitudine, auctores sæpe existere. Infarctis pulmonibus, sanguis non ventilatur, ipsius sordes & fuligines à fugâ coërcentur, & contaminando humores febriculam progignere valent. Suppressis catameniiis, à quacumque causâ, ob contractam sanguinis acrimoniam, febris lenta non raro exoritur. Idem transferatur ad aliarum evacuationum suppressiones quæ sanguini mediate vel immediate acredinem conciliant.

Causæ remotæ febrium effectrices hæcticarum in genere duplicis sunt differentiæ, aliæ externæ, aliæ internæ, ad externas referantur animi pathemata. Labor improbus, vigiliæ contumaces, curæ, sollicitudo, alimenta salsa, vel aromatis condita, inassueta, absurda, dispepta, potus vini meracioris vel liquorum ardentium, æstus balnearum, solis & hypocaustorum, aliæque res non naturales.

Ad internas, febres continentes continuæ, exacerbantes, & intermittentes, ulcera, obstructions, evacuationes nimix aliæque. Singulorum agendi modum sigillatim explicare immensi esset operis.

Causæ disponentes sunt temperies calida & sicca,

angustia, vel laxitas naturales aut adventitiæ.

Nunc lubeat febris hecticæ definitionem exponere, sit itaque febris hectica ea continuatarum continentium species in qua plerumque sine prægresso frigoris, aut horroris sensu duabus horis à pastu præter propter calor intenditur, pulsus major, celerior, & frequentior evadit.

Diagnos. omnes fere medici unanimi consensu profitentur Febrem hecticam in principio esse difficilis cognitionis, quorum tamen nonnulli iique percelebres practici proponunt nobis signa propria Febris hecticæ, & ab ipsâ vel in primo gradu inseparabilia; sed oscitanter quidem; nam explorare an illa adsint nec ne non est arduum. Aliqui genus cum specie, nempe, Febrem simpliciter lentam, cum hecticâ in primo gradu confundunt. Ne quis id à nobis gratis dictum putet, ipsissima eorum verba accipiat. *Febris hectica, secundum varios sui gradus varia sortitur nomina; in primò lenta, in secundo hectica, in tertio marasmodos appellatur*: hi ingenue nobiscum agunt, & cum ratione consentiunt, alii manifeste sibi contradicunt, ipsi viderint; nos rerum nostrarum satagimus, & ad signa diagnostica morbi quæ forte non alibi quam in imaginatione, cum republicâ Platonis aliisque pro mentis fecunditate, ne dicam libidine fictis, existunt, progrediamur, in tota latitudine primi gradus calor ubique æquabilis, primo contactu mitis, diucius protracto acrior & mordax insensibili transpiratione interim impeditâ, nullus dolor, nulla molestia, pulsus parvus, frequens, durus, nulla ferme perceptio Febris & emaciationis, pigritia, inhabilitas ad motum urina naturali simi-

lis, intensio caloris aliquot horis ab assumpto cibo etsi diversis diebus hora cibi assumendi immutetur, sine prægressis frigore, rigore, horrore pandiculatione aliisque signis accessionum intermittentium, aut exacerbationum continuarum pro caloris intensione, magnitudo, & velocitas pulsus, reditus caloris, & pulsus ad pristinum statum seu ad illum in quo erant ante ingestum cibum; mutationes istæ sunt signa propria & inseparabilia. Secundus gradus ex majori siccitate, vitium imbecillitate, pulsu crebriori, debiliore, minori, & duriori, nec non urina oleaginosa, aliisque indicis de quibus supra innotescit. Quod spectat ad tertium supervacaneum foret illum fufius depingere.

Moneo nos hic de signis Febris hæcticæ, quæ aliarum Februm, non autem mollium aut solidarum partium morborum symptomata sunt, sermonem instituisse. quoad diagnofim Februm hæcticarum quæ à viscerum solidarumve partium vitio pendent à propriis fontibus repetatur.

Prognofis. Febris simpliciter hæctica in nullo gradu facile curatur; habitus est difficilè mobilis à suo subjecto in primo facilior est curatu quàm in secundo; nam in hoc major est recessus à statu naturali, quo propinquior est tabes eo contumacior Febris: In tertio immedicabilis est ob maximam labefactionem massæ sanguinæ atque adeo materiæ fermentorum, quæ alimentorum subactioni dicata sunt, & tantam humidi radicalis (in cujus locum nos lympham & spiritus sufficimus) depopulationem, ut nequeat dari regressus à privatione ad habitum cujus beneficio partes similes organicæ reficiantur. Quoad prognofim aliarum Februm pro ratione partium af-

fedurum, causâ, magnitudinis, & contumaciâ diver-  
 ta instituenda est. Quæ ab apostematis hepatis, alio-  
 rumve viscerum, à quibus non datur aditus in ven-  
 triculum, intestina, vel os, lethales sunt. Tubercula  
 mollia pulmonum & vomicæ non raro ruptis saccis  
 in quibus concluduntur, foras eliminantur, & con-  
 valescunt ægri. Insanabilis est quæcumque hecticæ  
 species, in qua pedes prætermodum tument & cre-  
 bræ dejectiones ægros fatigant.

Curatio. In Febre simpliciter hecticâ aër sit paulo  
 frigidior perflatus mediocriter humidus, si non sit  
 ex natura sua talis, arte corrigendus, procul absint  
 animi perturbationes, colloquiis gratis atque fe-  
 stivis recreentur ægri, eorum aures cantûs, & instru-  
 mentorum musicorum harmoniâ demulceantur, ob-  
 jecta oculis offerantur jucunda, medici nihil de sa-  
 lute desperare videantur, nec somnus sit longior nec  
 brevior; à longiori minus imminet periculi. Cibus  
 sit euechimus, & eupeptus, ex carnibus juniorum  
 animalium, vituli, pullorum, hædi, gallinarum,  
 agni, phasiani, caponis, & similium, elixæ assis præ-  
 ferantur; his si æger delectetur, idemdem conce-  
 dendæ, non omnino exsuccæ, citri aurantiorumve  
 succo temperatæ. Juscula ex iisdem carnibus para-  
 ta, radicibus graminis, foliis borraginis. Cichorei  
 Sylvestris, Acetosæ, Pimpinellæ alterata additis.  
 Nunc & tunc aliquot foliis mentæ hortensis & tau-  
 tillo thabarbari in nodos suspensi, ne stomachus ag-  
 gravetur, propinanda. Testudines nemorales, coxæ  
 ranarum, limaces quæ difficilis sunt coctionis, non  
 sunt adeo salutares, ac vulgo creditur. Modice atte-  
 nuantia, incidentia, humectantia, demulcentia ap-  
 primæ conveniunt, inter fructus commendantur

poma, cerasa nigra, carica, pruna damascena & Brigniolentia, nuclei pinei, & amigdalorum dulcium, uvæ vitis sicca, passulæ corinthiacæ. Quamvis Febris sit simpliciter hæctica, exigua sanguinis missio pluribus repetita vicibus conducit, recens ex chilo factus veteri sanguine præstantior est, nec extenuatio corporis phlebotomiam dehortatur; quandoquidem Galenus vetulam valde macilentam, quam omnes alii medici derelictui habuerunt, missione sanguinis sæpius iteratâ persanavit. Pro potu ordinario præscribi potest ptisana ex hordeo integro, pomis redolentibus & liquiritiâ confecta cum pauca vini optimi rubri quantitate, ne stomachus morbi diuturnitate labefactatus plus æquo debilitetur. Si adsint obstructions, brodia, apperientia & remedia martialia in subsidium advocanda. Si fluxus alvi urgeat adstringentia usurpanda in toto morbi decursu pro ut res postulat, enemata refrigerantia, emollientia, & blande purgantia, adstringentia, & detergentia iniicienda, potiones lenes ex rheo electo, mannâ calabrinâ, pulpâ cassiæ recenter extractâ, tamarandis, myrobalanis, aliisque sorbendæ, cardiaca corroborantia, stomachica non sunt prætermittenda. Balnea aquæ dulcis tepidæ, quæ corporis habitum relaxant, omnesque ipsius partes humectant, & molliores reddunt, ita ut facilius cedant appellenti succo nutritio, valde proficua sunt. Si morbus ab ulceribus foveatur ad detergentia, exsiccantia, & consolidantia recurrendum. Lac vaccinum coctum & sæpe despumatam decocto herbarum vulnerariarum permixtum in hoc casu sicut & in vomicis tuberculis mollibus, & quotiescunque adest sanguinis acrimonia miris præstat

effectus ; in ulceribus pulmonum plus prodest aër  
 siccus , quam humidus ; sed cum lac muliebre ma-  
 jorem habeat cum sanguine nostro proportionem ,  
 sero suo ipsius salia diluat , hisque dilutis ulcera  
 detergat , eodem sero obstructions reserat ; partibus  
 butyrosis balsamum lymphæ connaturalem restituat  
 emaciatumque corpus reficiat jure concludo.

*ERGO Febri hætica lac muliebre.*

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.

R. D. Joannes Chastelain , *Decanus.*

R. D. Joannes Bezac.

R. D. Petrus Chirac.

R. D. Petrus Magnol.

R. D. Antonius Deidier.

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol , *Patris Coadjutor.*

R. D. Henricus Haguenot , *Doctor Aggregatus.*

R. D. Joannes-Henricus Haguenot , *Patris coadjutor.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Mauricius Pelerin.

M. Eustachius Marcot.

M. Antonius Fizes.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

ORDINANCE  
OF THE  
LEGISLATIVE ASSEMBLY

Faint, illegible text in the middle section, likely the main body of the ordinance.

ENACTED  
BY THE LEGISLATIVE ASSEMBLY

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or date.